



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 48. Friericus Imperator Regni Bohemiæ competitor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. xorem ejus filia, pacisceretur. Cæptis
A.C. 1458. consiliis collusit eventus; quippe Mat-
 thias Hungariæ Rex renuntiatur, perso-
 lutis Podiebracio in liberationis præmium
 sexaginta aureorum millibus.

§. XLVIII.

*Fridericus Imperator regni Bohemiæ
 competitor.*

Fridericus Imperator coronam Bohemiæ
 ad se devolutam affirmabat ex eo,
 quod Ladislaus, cum pro illa debitum
 Cæsari homagium solito ritu præstare
 neglexisset, abs dubio hoc regnum jam-
 jam vel sibi, vel suorum cuiquam vindica-
 re voluerit. Casimirus quoque Ladislai
 regnum sibi deberi contendebat, ratione
 usus sat vero simili; dicebat enim, sibi
 ultimi Regis Bohemiæ sororem fuisse de-
 sponsatam. Eodem etiam, quin & po-
 tiori successionis jure præferri postulabat
 Guilielmus Saxoniae Dux, cui alia Soror
 natu major nupta erat. Nec minorem
 coronæ spem Sigismundo, & Alberto
 Austriæ Ducibus tribuebat antiquum fœ-
 dus inter Bohemos, & Austriacos, vi cu-
 jus alter alteri sine mascula sobole dece-
 denti succederet.

§. XLIX.